

*Rebelles per literas renunciatas amovendi
& proscribentur.*

Item, conventum, conclusum est, &c. Quod si altera partium prædictarum aliquem vel aliquos, suum vel suos fuisse, & esse Rebellem vel Rebelles, profugum vel profugos, & in sua Regna, patrias, dominia, terras, portus vel districtus, aut eorum aliquem receptum esse, vel receptos, aut ibidem latitare, aut se tenere, per litteras suas alteri significaverit & declaraverit: tunc pars illa quæ hujusmodi litteras receperit, vel cui taliter significatum aut declaratum fuerit, hujusmodi Rebellem vel Rebelles, profugum vel profugos, intra mensem à die significationis præcedente, proximo, & continue numerandi tenebitur dicto Rebeli vel Rebellibus, profugo vel profugis, præcipere & mandare; vel præcipi & mandari facere, ut extra sua Regna, dominia, patrias & terras, & eorum quodlibet recedat & exeat, recedant & exeant, & si intra quindecimam diem à die hujusmodi præcepti non recesserit & exierit, tenebitur illum & illos illico proscribere & bannire sub pœna capitali, & talem proscriptionem sive Bannû contemnentem vel contemnentes eadem pœna effectualiter puniet, seu puniri faciet.